E 9 Apr: 1622. ci

305
~~309~~

Potentissime Rex.

N 79

Insignis illa Pietas, qua Deus Optimus Maximus decorauit inuictissimum, eque ac Christianissimu Pectus Maiestatis Vrę (Seren:me Princeps) à quo non agnoscitur, et pijs ad Deum fusis lachrymis non ueneratur? quippè quę alterum extendat Brachium ad conterendos fidei Catholicę Hostes, Alterum uero ad fouendos Ecclesię Dei Ministros, eosq; precipuè, qui Instituti, ac Regulę suę obseruantiores, Diuiniq; Cultus, ac Animarū salutis se prębuerint zelatores, immaculatę Vitę exemplo, sanctaq; in Proximorum edificationem conuersatione. Quapropter cum de ordine expresso Sanct:mi Dni Nri Gregorij XV, Cui tanq; uniuersalis Ecclesię Pastori incumbit onus, et cura totius ouilis Christiani ad uberiora, melioraq; Pascua reducendi, iàm octo ab hinc Mensibus in foelicissimum M:tis Vrę Regnum missus fuerit R. Pr fr Alexander Patauinus Commissarius ad fundandam Ordinis B. P. Nri Francisci Reformationem, quę collabentem obseruantiam puritatis Regulę nrę à Chro Dno eidem Beato Confessori Francisco dictatę, eiusdem Chri Dni ope, Maiestatisq; urę fauore nedùm sustineat, sed et ad pristinum Nitorem, melioremq; frugem reducat. Hinc est, q nunc ego, cui à prefato Summo Pontifice cura Pusilli Gregis Reformatorū demandata est, M:tem Vram suppliciter audeam exorare, ut ipsum Prem Commissarium benignè amplecti, tuerique dignetur circa tàm pij operis executionem, ut nouella germina Virtutum in Dei honorem, Regniq; uri spiritualem profectum indies producere possit. Sic apud Deum bonorum operum retributorem procul dubio habebit M:tas Vra B. Prem Nostrum Franciscum, Assiduum, efficacemq; Intercessorem, totamq; Reformatorū pauperculam Religionem indefessam, et continuam Oratricem pro Sublimitatis Vrę incolumi Statu, suiq; felicissimi Regni extensione. Romę Nonis Aprilis M.D.C.XXIJ.

Augustissimę Maiestatis Vestrę

Humillimus Seruus, et Orator
Fr. Antonius Strozius Vicarius Gnalis
Reformatorū minorū obseruantium

[...]o Regi Polonię.

300
290

L. Vic. Ref. Wan. April 1622. Rec.